



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]  
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

**Puteanus, Erycius**

**Antverpiæ, 1617**

Ω. Vera hominis quies & felicitas. Virginem, dotésque Virginis in cælo legi:  
pulchritudinem, potentiam, benignitatem eminere. Pietatis clausula ac  
votum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

rima, sic maxima: conspicua omnibus, admiranda omnibus. Cælum si hostes habet, hos prosternet Virgo: Virgo si hostes habet, hos arcebit cælum. Quot sidera, tot tela video: quot Dotes Virginis, tot sagittas. His confixa impietas, in terram deprimet caput: Proteum autem, quia cælo armatum, verè fulmineum confitebitur.

## T H A U M A Ω.

*Verà hominis quies & felicitas. Virginem, dotésque Virginis in cælo legi: pulchritudinem, potentiam, benignitatem eminere. Pietatis clausula ac votum.*

**Q**UID corpore mortales in sublime erecti, pronâ mente terram sequimur, & inanium curarum pondere depressi volutamur? Quies in superis locis, felicitas in æternis. Hic Virgo est, quam colimus: hic Proteus, quo Virginem colimus,

*Sidera cuncta notat, tacito labentia cælo.*

Quia in cælo Virgo est, à cælo deriuari imago debuit: imò quia in cælo Virgo est, non alibi versus scribi Virgineus debuit, non alibi faciem Proteus variare. Attolle yultum, & animum erige: in stellis Dotes leges Virginis, & laudes inuenies: ipsum te docebit cælum, quî Virgine-

nem



IN PROTEVM PARTHENIVM. IIS  
nem venereris. quî? vt Dotes legas Virginis,  
& laudes accumulés. Cùm cælum videbis, O  
pulchrum domicilium! inquires: sed scande, pe-  
netra; & pulchriorem Virginem inuenies. Cùm  
stellas miraberis, O lucidæ faces! inquires: sed  
lustra & recense; plures Virginis Dotes depre-  
hendes. Exprimere eas Pius Vates simplici ser-  
mone non potuit; imagine designauit, sidera  
omnia collegit. Sidera ignem, vt sic dicam, &  
lumen habent; potentiam, & pulchritudinem:  
his totam naturam regunt. Et Virgo igitur  
ignem habet, quia puritatem: Virgo lumen,  
quia gloriam. Propinquo Numine potens est,  
Virginitatis flore pulchra est, & in totâ rerum  
vniuersitate eminent. Voco Virginem, vt pul-  
chram ostendam; admiror Dotes, vt potentem  
indicem. Et quid suauius, quàm amare pul-  
chram? quid laudabilius, quàm venerari po-  
tentem. Quàm pulchra, tam benigna est; al-  
licit: quàm potens, tam propitia; trahit. Se-  
cum esse, & æternitate cultores suos frui, non  
cupit tantùm, sed vult. Ego vt amare me osten-  
dam, quam veneror; vt venerari, quam amo;  
laudare non desinam. E cælo depromam Elo-  
gium, & vsque vsque canendos suauissimos mo-  
dulos repetam:

TOT TIBI SVNT DOTES, VIRGO,  
QVOT SIDERA CAELO.

P 2

Has



Has tibi laudes, ô Diua, has persoluam preces.  
 Dicam quod stellæ omnes dicunt, dicam quod  
 numquam satis dicam. Audi me Virgo, Tuus  
 sum: suscipe me Virgo, cælum spectro. Quid  
 amplius? tu me suscipe cælum, Virginem suspiro.  
 Quæ mora? quæ mora? euehar, euehar! iam  
 mihi terra angusta est.

FINIS.

